

232

230

236

226

quia hoc omnino non possunt sustinere. Nam et ipsi carent,
ne nos in orationibus nostris impedian, nec derideant.

241

Vicesimus quartus: si contingeret peregrinos longius
detineri in Rama et in aliis locis, quod habeant patientiam,
nec Patri Gardiano imputent: sed Sarracenis, qui in ista re
faciunt, quod eis placet, et non quod nobis utile esset.

221

Vicesimus quintus: quod peregrini ad redimendas multas
vexationes non sint nimis tenaces, sed dent debitam pecuniam
cito, et cum pace. Asinariis autem nullus det pecuniam, cum
domini patroni totum solverint; nisi aliquis det ex liberalitate
asinario denarium pro pabulo asini, quod tamen facere non
tenetur.

281

Vicesimus sextus articulus: quod peregrini aliquid dona-
rent hospitalio hospitalis, in quo eramus, quo domus in
ruinis refici et restaurari posset.

181

Vicesimus septimus et ultimus: quod peregrini habeant
sibi recommendatum pauperem Conventum fratum montis
Syon in Jerusalem, quorum procuratione inducuntur et
educuntur peregrini, et quod eleemosynis suis conventum
foveant et fratribus succurrant, qui ibi inter infideles commo-
rantur in consolationem peregrinorum, et peregrinis pro posse
servire parati sunt, etiam subjiciendo se pedibus eorum, si
necesse foret. Et si non cuilibet peregrino fuerit factum juxta
necessitatem suam, et voluntatem, non imputet fratribus, quia
si omnibus deberent satisfacere ministrando vinum et panem,
post abscessum peregrinorum non haberent, unde viverent.
Infirmis autem et debilibus peregrinis omni conatu et diligentia
ministrare parati essent, eosque in suo infirmitorio refovere
et charitable tractare.

331

Haec in Latino et Theutonio sunt peregrinis pronunciata.
Porro cum sermo sic protraheretur, Sarraceni, qui in anteriori
atrio stabant seclusi, impatientes facti cum lapidibus ad ostium
pulsaverunt, ac si ostium rumpere vellent. Alii ascenderunt
super domum et in curiam respexerunt, ubi eramus, ridentes
et clamantes. Nos vero ex hoc conturbati contra juvenes
illos seriosis vultibus (B) respeximus, annuentes ut tacerent
et descenderent. Qui videntes serum nostrum conticuerunt,
et unus post alium abscessit. Et totum officium cum pace

Ende

Anfang

